

Libris deprehendimus, quos ob materiam nondum ab Ecclesia tunc ventilatam condonare quidem volumus, amplecti nequimus. Inter alia quis unquam plaudat homini, in unam *Custodiam* sive Carcerem conjicienti tam Justorum, quam Injustorum Animas post mortem? Sacrae Literae, ac veterum Traditio id prorsus improbant. Animus etiam refugit id credere. Atque hactenus censum Scriptorum, a Burneto in suae opinionis suffragium e tribus primis Ecclesiae Saeculis accitorum. Quam parum vero movere nos possit aut debeat illorum auctoritas, nullis sacrarum Literarum certis documentis nixa, immo super Regni Millenarii male consutam fabulam unice fundata, jam satis me ostendisse confido. Non semel autem dixi (neque id negarunt, ut vidimus, Justinus, Iræneus, ac Tertullianus) viguisse tunc etiam in Catholica Ecclesia sententiam, a terreno illo Regno post supremum vivorum, & mortuorum Judicium inchoando alienam; & plerisque detulisse Animabus Justorum ex hac vita decedentium sedem in Coelis, non vero in Carcere illo sive Custodia, quam post Lactantium Philosophum, & Vigilantium hæreticum hominem, nobis obtrudere Burnetus percuperet. Sed nunc eadem veritas in majori est mihi luce collocanda. Ad quod potissimum præsto nobis esse possunt Acta Sanctorum sinceriora & vetustiora, quæ in insigni sua Collectione protulerunt hucusque Johannes Bollandus, ejusque successores e Societate Jesu, & Ruinartus in Libro edito contra Dodvvelum. Et eorum quidem, quibus usus sum, antiquitatem jamdiu docti Viri vindicarunt, ita ut idem ostendere supervacaneum sit, & me hoc onere ab iis levatum sentiam. Præsertim vero *Martyrum Animas*, e Corpore prodeuntes, in Coelestem Patriam confestim rapi, concordēs sensere veteres: quod unum ubi persuasum habeamus, non est, cur ceteris Justis Coelum negemus, totaque Burneti moles dehiscaat oportet.

C A P U T X.

Acta veterum sincera Animas Martyrum confestim ad Calorum Regnum ferri testantur. Clemens Alexandrinus, Dionysius Episcopus Alexandrinus, & Cyprianus Carthaginiensis Episcopus, non solum Martyribus, sed & ceteris Sanctis patere Calum post mortem testantur. Pro Martyribus Eucharistica, non propitiatoria commemoratio in sacris. Alia Martyrum Acta eidem veritati suffragium præbent.

Liceat mihi primo loco memorare Acta Sanctæ Symphorosæ, quæ circiter Annum vulgarem cxxv. in Christi confessione fortissime vitam dedit. De Martyribus agebat illa: *Elegerunt magis decollari, quam vinei; passi mortem, quæ pro nomine Christi suscepta, inter homines quidem ignominiam eis peperit temporalem, inter Angelos vero decus & gloriam sempiternam; inter quos nunc gradientes, & trophæa passionum suarum laudantes, CUM ÆTERNO REGE Vita Æterna fruuntur IN COELIS.* Acta vetustissima Passionis Sanctæ Felicitatis, ejusque filiorum, qui circiter Annum vulgariis Æræ cl. pro Christo decertarunt, deinde no-
bis